

mis et secundis Vesperis, Matutino, et Missae, Indulgentiam quatuorcentum dierum consequentur pro unaquaque ex praefatis functionibus; ac centumsexaginta dierum Indulgentiam pro qualibet ex Horis Minoribus, Prima nempe, Tertia, Sexta, Nona, et Completorio. In qualibet vero die octidui praefatae solemnitalis Indulgentiam biscentum dierum pro Vesperis, ut supra, Matutino, ac Missa; octoginta autem dierum pro qualibet Hora Minori. Comitantibus vero Sacram Sanctissimi Sacramenti supplicationem sive in festo, sive in octiduo, dummodo fuerint Communionem refecti, Indulgentiam biscentum dierum. Talis est genuina concessio Eugenii PP. IV ut in sua Constitutione *Excellentissimum* diei 26 Maii 1433; ac proinde lucrentur, ut supra, etiam in Dominica infra octavam absque praejudicio in dicta Dominica acquirendi Indulgentiam Plenariam, servatis servandis, quae, uti asseritur, reperitur concessa a san. me. Pio PP. VII.

Ad 2.^m Confessio requiritur tantum in die festo, ut ex citata Constitutione.

Ad 3.^m Affirmative.

Ad 4.^m Affirmative.

Dubium Secundum. *In multis libris, seu Summariis Indulgentiarum fit mentio de quodam Rescripto Sanctissimi Domini Pii VII de die 7 Julii 1815; quo concedit in perpetuum Indulgentiam Plenariam, defunctis etiam applicabilem, omnibus Christifidelibus, qui positis conditionibus requisitis, visitarent in festo Sanctissimi Cordis Jesu Ecclesiam, seu Oratorium publicum, ubi praedictum festum celebratur; quaeritur an revera haec Indulgentia a Pio VII sit concessa, et quatenus affirmative, an ad illam lucranda in praedictis Ecclesiis, seu Oratoriis requiratur quaedam externa solemnitas, an e contra sufficiat quod Officium Divinum, vel saltem Missa ibidem dici consueverit de festo Sanctissimi Cordis Jesu, juxta praescriptum Directorii, seu Kalendarii Dioecesis?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative quoad primam, et secundam partem: Negative quoad tertiam: Decretum enim concessionis sic habet » *Ubi celebratur dictum festum Sanctis-*

simi Cordis Jesu, vel in Feria VI post Octavam Corporis Christi, vel alia die de Ordinarii licentia ». Ita Sac. Congr. die 28 Junii 1844.

DXIV.

AMBIANEN.

Parochus Loci de la Savante Dioecesis Ambianensis petens a S. Sede Indultum benedicendi sacrum Scapulare quaerit.

1.^o *An hoc idem Indultum communicare possit tribus aliis suis Confratribus?*

2.^o *An fideles dispensari possint ab obligatione vescendi, ut dicitur di magro feria IV cujuslibet hebdomadae, quae praescripta est gestantibus sacrum Scapulare?*

Sac. Congregatio respondit « Ad primum » Recurrat unusquisque singulariter pro impetratione facultatis benedicendi, et imponendi sacra Scapularia. « Ad secundum » Accedente gravi impedimento non teneri Confratres neque ad jejunium, neque ad recitationem Horarum Canoniarum, aut Officii Parvi B. M. V.; neque ad abstinendam diebus Mercurii, et Sabbati: Consulendi tamen fideles, ut hoc in casu se subiciant iudicio docti, et prudentis Confessarii pro aliqua commutatione impetranda ». Ita declaravit Sac. Congr. die 6 Augusti 1844 ad formam aliorum Decretorum.

DXV.

TARANTASIEN.

Episcopus Tarantasiensis quaerit a Sac. Congr. utrum Breve ab eo acceptum pro facultate erigendi, seu declarandi ad septennium proximum unum Altare Privilegiatum in qualibet Ecclesia suae Dioecesis, validum sit tantum pro primo septennio immediate sequenti suam Consecrationem, ita ut, si, hoc perdurante septennio, nondum omnia Altaria declarasset privilegiata, poterit ea declarare, hoc ipso septennio absoluto; et in primo casu per quot annos Altare privilegiatum putandum erit? An vel facultas sit ad vitam Episcopi, et Altare tantum ad

septennium privilegiatum? Vel an facultas Episcopi, et Privilegium Altaris ad septennium tantum sint duratura?

Sac. Congregatio respondit « Vigore Litterarum Apostolicarum in forma Brevis dat. sub Annulo Piscatoris die 13 Februarii 1838, Episcopus Orator facultatem obtinuit semel per seipsum in qualibet ex Parochialibus, et Collegiatis Ecclesiis suae Dioecesis unum dumtaxat Altare ad septennium proximum privilegio Apostolico decoratum declarare, ita ut haec facultas quoad Episcopum Oratorem perduraverit usque dum in unaquaque ex praefatis Ecclesiis unum Altare tali privilegio ditatum designaverit; quoad vero Altare, simili indulto decoratum erit per septennium proximum incipiendum a die respectivae designationis uniuscujusque Altaris; ac proinde absoluto septennio, pro Altaribus designatis, etiamsi in caeteris Ecclesiis nondum ea declaraverit, recurrendum erit ad S. Apostolicam Sedem pro talium facultatum prorogatione ». Sic Sac. Congr. declaravit die 22 Septembris 1841.

DXVI.

PARISIEN.

Parochus Ecclesiae Sancti Sulpitii in Civitate Parisiensi petit a Sac. Congr. utrum ad lucrandas quasdam Indulgentias particulares, in quarum tenore nulla fit mentio clausulae infra exprimendae, v. gr. ad lucrandam Indulg. Plenariam applicatam Orationi « En Ego, bone, et dulcissime Jesu etc. » (ex Pio VII in Decreto « Urbis, et Orbis » die 10 Aprilis 1821) necesse sit recitare insuper quinque Pater, et quinque Ave pro finibus a Summo Pontifice praescriptis, uti specialiter notatur in pluribus Rescriptis: An sufficiat praefatam Orationem solam a fidelibus confessis, et communicatis, coram Crucifixo recitari?

Sac. Congregatio respondit « Standum absolute terminis in concessionibus enunciatis: nullum vero verbum fit in praecipitata Orationis concessione de necessitate recitandi quinque Pater etc. sed exprimitur tantum Sacramentorum susceptio, Orationisque coram cuicumque Crucifixi Imagini recitatio » die 25 Septembris 1841.

DXVII.

ATREBATEN.

Cum quidam Sacerdos Dioecesis Atrebatensis dubia seminaverit inter fideles circa modum recitandi Coronas Divae Birgittae nuncupatas, asserens absolute necessarium esse ad lucrandas Indulgentias supradictis Coronis adnexas, recitare post Angelicam Salutationem decies repetitam, Symbolum quoque Apostolicum; quae quidem methodus hac in Dioecesi nunquam viguit, nam Coronae Divae Birgittae recitantur sicut Coronae ordinariae, hinc a Sac. Congregatione declarandum superest: utrum Christifideles tali recitatione lucrentur saltem Indulgentias Coronis ordinariis adnexas?

Sac. Congregatio respondit « Coronam Divae Birgittae nuncupatam revera constare sex decadibus, et in qualibet decade recitatur Oratio Dominica, Angelica Salutatio decies repetita, et Apostolorum Symbolum, et in fine aliud Pater noster, cum tribus aliis Angelicis Salutationibus; at vero ex pluribus Decretis adservatis in actis Sac. Congregationis, Indulgentias Sanctae Birgittae lucrari posse cum Coronis etiam ordinariis sive quindecim, sive quinque tantum decadum, dummodo sint benedictae ab habentibus facultatem cum Indulgentiis quoque Divae Birgittae nuncupatis » Sac. Congreg. ita declaravit. Die 25 Septembris 1841.

DXVIII.

APAMIEN.

Vicarius Generalis Apamiensis expostulat an pro validitate erectionis Viae Crucis, et ad lucrandas Indulgentias ipsi adnexas, sit absolute necessarius Processus Verbalis ab Episcopo, vel ab ejus Vicario conficiendus, an sufficiat facultas a Sancta Sede per Rescriptum obtenta?

Sac. Congregatio respondit « Circa erectionem Stationum Viae Crucis, impetratis antea ab Apostolica Sede necessariis, et opportunis facultatibus, omnia ac singula quae talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio, quam erectionis

ejusdem concessio, quam Instrumentum in Codicibus, seu in actis Episcopatus remaneat, et testimonium saltem in Codicibus Pareciae, seu loci ubi fuerint erectae praefatae Stationes, inseratur. Die 25 Septembris 1841.

DXIX.

AUTHENTICITATIS OPUSCULI
VULGO DELLA RACCOLTA DI ORAZIONI ETC.

Decimae Editionis Romanae

Coelestis Indulgentiarum thesauri dispensatio magni semper fuit in Ecclesia momenti, ut Christifidelium devotio augetur, Fides splenderet, Spes vigeret, et Charitas vehementer incalcesceret. Sacris proinde Indulgentiis varias pluresque Orationes ac pia Opera Summi Romani Pontifices ditare omni tempore studuerunt. Sed aliquando, immo etiam saepe evenire solet, ut Indulgentiae ipsae, quarum usus Christiano populo maxime est salutaris, non lucrentur vel quia earum concessionibus ignorantur, vel quia ad eas acquirendas, quae indiscriminatim in nonnullis opusculis, aut foliis reperiuntur, nec singulae, nec integrae praescriptae conditiones declarantur. Quamobrem opportunum, ac necessarium jamdudum videbatur, ut quamplurimae Orationes, nec non pia opera, praecipue illa, quibus ex generalibus concessionibus Summorum Pontificum Indulgentiae sunt adnexae, ex suis germanis fontibus fideliter hausta, atque ordine digesta, et simul collecta in vulgus ederentur. Id quod erat in votis superioribus annis perfecit alter ex iis, qui a consultis sunt praelecti hujus Sacrae Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositae. Praedictas enim Orationes, ac pia Opera in unum Volumen accurate sed non levi labore redegit, injunctasque conditiones pro ipsius Indulgentiis assequendis singillatim exposuit, typisque nona vice evulgavit Anno millesimo octingentesimo trigesimo septimo, annuente ipsa Sac. Congregatione.

Cum vero idem Auctor decimam hujusmodi Collectionis Romanam Editionem auctam, modo imprimere studuerit; Eadem Sac. Congregatio prae laudatum opus haud dubie perutile iterum

probat, ac uti authenticum publicari posse censet. Monet tamen quod si in quacumque ejusdem operis editione, seu versione cujuscumque idiomatis tam in Urbe, quam extra exarata vel quae exarari contingat, dubium aliquod subinde emerit, sive quoad Indulgentiarum concessionibus, sive quoad praescriptas conditiones adimplendas, ad postremam hanc editionem typis Michaelis Perego-Salvioni gnaviter excusam et in ipsius Sac. Congregationis Secretaria asservatam recursus habeatur; ac praeterea praesens Decretum, ut omnibus Christifidelibus patefiat, typis pariter tum itala, cum latina lingua impressum ad calcem memoratae editionis apponi mandat, atque decernit.

Datum Romae ex Sac. Congregationis Indulgentiarum ac Sac. Reliquiarum Secretaria die 30 Septembris 1841.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.

Aloisius Can. Prinzivalli Subst.

DXX.

URBIS

Aeterni Dei Inscrutabilis Altitudo nullis comprae-hensa limitibus, sed ineffabilis et immensa sic per eos, qui hactenus in Sede Beati Petri Romanae Ecclesiae gubernacula tenuerunt, Populum Christianum spiritualibus alimentis nutriri voluit ut per ejus dona gratiae, fide et charitate muniti coelestis Regni praemia consequi mereantur. Hinc cum jam erecta canonice reperiatur piissima Sodalitas Sanctissimi Cordis Jesu cultui propagando, quae in Alma hac Urbe sub Eminentissimi Card. Vicarii ductu penes pium coetum a S. Paulo Apostolo nuncupatum suberescit et longe lateque per Orbem diffunditur, quaeque innumeris propemodum Indulgentiis, ac privilegiis a Summis Pontificibus ditata fuerit, ex qua, postulantibus nonnullis Ecclesiasticis viris tum dignitatis honore fulgentibus, tum doctrinae ac probitatis laude, atque animarum zelo vel maxime commendatis, nova quaedam, ac peculiaris Societas in Templo Deiparae Virginis de Pace sub certis regulis et modis efformata, atque per ejusdem Eminentissimi Urbis Vicarii recognita, ac probata fuerit cui sub ipsius pii coetus Moderatoribus

regimine ac tutela munus sit cum Sacratissimo Jesu Corde solidior, ac perpetua conjunctio. Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI omnibus Christifidelibus huic selectae Societati adscriptis, ac in posterum adscribendis, firmis remanentibus singulis Indulgentiis a suis Predecessoribus Sodalitati Sanctissimi Cordis Jesu elargitis benigne concessit Indulgentiam Plenariam die eorum receptionis in praefatam Selectam, ac peculiarem perpetuae Adorationis ipsius Sanctissimi Cordis Societatem si eadem die vere poenitentes confessi ac S. Communione insuper fuerint refecti, nec non publicam aliquam Ecclesiam seu Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Similiter septem annorum totidemque quadragenarum Indulgentiam peramanter est impertitus, dummodo corde saltem contrito tribus injunctis operibus satisfecerint, tum nempe semel in die, pro Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti visitatione absolvenda, tum semel in qualibet prima feria sexta cujuslibet mensis pro piis exercitiis in Ecclesia praedicta B. M. V. de Pace peragendis, tum denique in actu Consecrationis Sanctissimo Jesu Cordi ac Deiparae sine labe conceptae emittendo; Plenariam pariter Indulgentiam uno tantum ex ultimis tribus cujuslibet mensis diebus, uniuscujusque arbitrio eligendo, quatenus supraenunciatam Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti visitationem quotidie peregerint, eodemque die Ecclesiae Sacramentis, ut supra rite susceptis, aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint, ac juxta supraenunciatos fines pias ad Deum preces effuderint. Et tandem ut quadraginta dierum Indulgentiam pro quolibet alio pio opere, quod corde saltem contrito ac devote persolverint, consequantur, clementer indulset, facta quoque singulis hujusce selectae Societatis sodalibus potestate tam Plenarias, quam Partiales Indulgentias praefatas animabus in Purgatorio detentis applicandi, ac in reliquis quoque servatis servandis juxta Constitutionem Clementis VIII san. mem. quae incipit « Quaecumque a S. Sede Apostolica die 7 Decembris 1604 » Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibus-

cumque. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 14 Decembris 1841.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.
H. Ginnasi Secret.

DXXI.

MECHLINIEN

Publicus Professor Sacrorum Canonum in Universitate Catholica Lovaniensi Dioecesis Mechliniensis ad Sacram Congregationem recurrit pro decisione subsequentium Dubiorum.

Dubium primum. « Per Decretum Sac. Congregationis Indulgentiarum datum die 12 Junii 1822 conceditur, Confessionem Sacramentalem peractam infra hebdomadam ante festivitatem suffragari posse ad Indulgentiam lucrandam: quaeritur.

1.^o An Verba infra hebdomadam significent octo dies tantum quae festivitatem immediate praecedunt, an vero hebdomadam illam totam, et integram, quae ante festum decurrit, ita ut ex. gr. Confessio facta die dominica suffragetur ad lucrandam Indulgentiam die Sabbati hebdomadae sequentis in quam diem festum incidere, tametsi tunc tresdecim dies inter Confessionem, et festivitatem intercessissent?

2.^o An Confessio octava die ante festivitatem peracta vi hujus Indulti suffragetur tantum ad unam Indulgentiam lucrandam, an vero per hanc Confessionem aliae etiam lucriferi possint Indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrunt, et ad quas lucrandas Sacramentalis Confessio caeteroquin requireretur?

Sac. Congregatio respondit « Ad primum » Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam.

Ad secundum » Negative quoad primam; Affirmative quoad secundam.

Dubium secundum « Quaeritur utrum cum in Bulla vel Brevis, quo conceditur Indulgentia, Confessio tamquam conditio sine qua non praescribitur, necesse sit ut Sacramentalis absolutio poenitentibus detur ad Indulgentiam lucrandam?

Sac. Congregatio respondit « Negative »

Dubium tertium « *Quaeritur si a Sancta Sede Indultum locale Altaris Privilegiati conceditur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici Libello, nec in Rescripto de qualitate Altaris, sitne fixum scilicet, vel portatile, an Altare censei possit Privilegiatum, etiamsi sit portatile?* »

Sac. Congregatio respondit « Negative, excepto casu Indulti Altaris Privilegiati personalis, quo frui potest Sacerdos in quocumque Altari sive fixo, sive portatili celebraturus » Ita declaravit Sac. Congr. die 15. Decembris 1841.

DXXII.

QUEBECEN.

Episcopus Quebecensis Sacrae Congregationi Dubium solvendum proposuit: utrum tempore Visitationis Pastoralis, et Spiritualium Recessuum, seu Exercitiorum, quae frequenter peraguntur in Pareciis dictae Dioecesis lucrari possit Indulgentia Plenaria a fidelibus, Sacra Communionem peracta, eodemque tempore per ipsam unicum Communionem Praecepto Paschali satisfieri? Et rursum: An idem dicendum sit de Indulgentia Jubilaei?

Sac. Congregatio auditis Consultorum votis, declaravit respondendum esse « Affirmative quoad primam partem, quemadmodum responsum fuit Episcopo Monasteriensi die 19 Martii currentis anni relate ad acquisitionem Indulgentiae Plenariae Papali Benedictioni adnexae, quae in Paschate Resurrectionis impertitur, una eademque Communionem tantum in Paschalis Praecepti adimplementum peracta ». Quoad secundam partem similiter Affirmative « nisi aliter constet ex Bulla indictionis Jubilaei ». Ita Sac. Congr. die 15 Decembris 1841.

DXXIII.

QUEBECEN.

Idem Episcopus quaerit, utrum Pareciae, quae gaudent Indulgentia Plenaria propria pro festivitate respectivi patroni,

lucrari quoque possint Indulgentiam Plenariam concessam per Dioecesim diebus festivis patronalibus omnium Pareciarum?

Sac. Congregatio, auditis pariter Consultorum votis, respondit « Negative, quia in tali Indulgentiarum Concessione, mens est concedentis, ut una tantum acquiratur Indulgentia Plenaria, minime vero duae, quod accideret, si quaelibet Parecia, quae gaudet Indulgentia ob festum sui Patroni, lucrari posset illam, quamvis affirmatur concessam per Dioecesim absque limitatione ob festa Patronalia omnium Pareciarum ». Sic Sac. Congr. die 15 Decembris 1841.

DXXIV.

ROTHOMAGEN.

Cum ad Dubium propositum a Vicario Generali Dioecesis Rothomagensis circa Coronarum benedictionem cum Indulgentiis S. Birgittae, Sac. Congr. die 2 Octobris 1840 respondisset « Negative, nisi Sacerdotes peculiare habeant facultates ab Apostolica Sede impetratas », nova nunc eidem Vicario dubia exoriantur, quae Sacrae pariter Congregationi enodanda proponit: videlicet 1.º Utrum per haec verba « peculiare facultates ab Apostolica Sede impetratas » intelligatur, ac sufficiat ad consequendum praedictum illum effectum facultas illa, quae ordinario conceditur, et exprimitur his verbis, aut aliis « ac etiam applicandi Indulgentias Sanctae Birgittae nuncupatas »? 2.º Utrum habeant peculiare illas facultates saltem ii Sacerdotes, qui ab Apostolica Sede petierunt facultatem benedicendi Coronas B. V. Mariae cum applicatione Indulgentiarum Sanctae Birgittae nuncupatas, et quibus fuit responsum « Sanctitas Sua Oratori concedit facultatem benedicendi (v. gr. mille quotannis) Coronas deprecatorias cum applicatione Indulgentiarum Divae Birgittae nuncupatarum eorum arbitrio distribuendas »?

Sac. Congregatio inhaerendo responsionibus datis sub die 2 Octobris 1840 ad nonnulla dubia ab eodem Oratore proposita, et praecipue sub numero primo, iterum respondit « Affirmative in omnibus ». Die 24 Januarii 1842.